



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Pvgnā Spiritvalis**

**Scupoli, Lorenzo**

**[S.l.], 1599**

**VD16 S 5184**

Cap. XXII. De Oratione interiori, eiusq[ue] legitimo vsu.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49116](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49116)



piencie, prudentie, prouidentie que diuine submitte.



### CAPVT XXII.

*Quid Oratio interior, que & cōtemplatio, sit: & quis eius vsus.*

**O**Ratio interior, seu mentalis, nihil aliud est, quàm eleuatio mentis in Deum, virtualis vel actualis, ad obtinendum quod petitur. Virtualis dicitur quando aliquis mentem suam eleuat in Deum pro impetranda ipsius gratia: suamque ipsi necessitatem, absque vllō discursu ac consideratione.

*Virtualis oratio que.*

H 7

rati que.



ratione aliarum rerum, simpliciter, breuiterque explicat. Ut cum mentem meam eleuo in Deum, & coram ipso agnosco, confiteorque meam ad faciendum bonum, & me à malo custodiendum imbecillitatem. Huiusmodi oratio propriè, rectèque dicitur Virtualis: quia dum mentem meam, sic breuiter aperio coram Deo, ipse satis bene nouit quod mihi desit, & quoniam opus habeam auxilio.

Est autem & aliud genus Orationis interioris Virtualis, quod consistit in simplici intuitu seu contemplatione diuinae



uinae mentis. Et fit quando tacite desideramus, Deumque velut monemus vt largiatur quod antea petiuimus. Hunc orandi modum, fili, diligenter addiscas, frequentique exercitatione tibi familiarem reddas. Etenim ipsa te docebit experientia, quam optima is sit armatura contra quascunq; aduersitates atque pericula. Vnde nihil vtilius, quam huc orandi modum semper in proutu habere, vt eum quoties opus sit adhibere possis.

Actualis autem Oratio interior est, quando homo verbis in mente expressis, grati-



am à Deo petit. Ut qui intra se, absque verbis exteriorib<sup>9</sup>, ad Deum sic orat: Domine Deus meus, da obsecro mihi gratiam hanc, aut illam; propter honorem sanctissimi nominis tui. Vel: O Deus meus, credo firmiter, summæ Majestati tuæ sic placere, vt hanc abs te gratiam petam. O Deus meus, impleas in me voluntatem tuam.

In huiusmodi Oratione hostem tuū, vel peccata tua, quæ te infestant & affligunt, pariterque imbecillitatem ad iisdē resistendum, coram Deo sistas, & dicas: O Domine, aspice me



me creaturam manuum tuarum, quam roseo sanguine tuo redemisti: attēde hostem meum pariter & tuum, qui furit ac sævit vt me discerpāt, absorbeatque. O Deus meus ad te confugio, in te solo spero. Respice imbecillitatem, impotentiam, imperfectionem meam: & è contrario grandē vim, robur atque potentiam hostis mei, qui molitur me suæ tyrannidi subijcere, si tua potenti defensione destituar.

CA-